Diözese Passau / Salzburg,

Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8340
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek



248

Dixerat autem ihc de morte eius. Illi autem putauerunt quod de
dormitione somni diceret. Tunc ergo dixit eis ihc manifeste
Lazarus mortuus est. Et gaudeo propter uos ut credatis
quia non eram ibi. Sed eamus ad eum. Dixit ergo Tho
mas qui dicitur didimus ad condiscipulos. Eamus et nos
et moriamur cum eo. Venit itaque ihc et inuenit eum quatu
or dies iam in monumento habentem. Erat autem bethania
iuxta iherusalem quasi stadiis quindecim. Multi autem ex iudeis
uenerant ad martham et mariam ut consolarentur eas de
fratre suo. Martha autem ut audiuit quia ihc uenit oc
currit illi. Maria autem domi sedebat. Dixit ergo mar
tha ad ihm. Domine si fuisses hic frater meus non fuisset
mortuus. Sed et nunc scio quia quecumque postulaueris
deo dabit tibi deus. Dixit illi ihc. Resurget frater tuus.
Dixit ei martha. Scio quia resurget in resurrectione
in nouissimo die. Dixit ei ihc. Ego sum resurrectio et uita.
Qui credit in me etiam si mortuus fuerit uiuet. Et
omnis qui uiuit et credit in me non morietur in eternum.
Credis hoc. Ait illi. Utique domine. Ego credidi quia tu es
xpus filius dei qui in hunc mundum uenisti. Et cum
hoc dixisset abiit et uocauit mariam sororem suam silentio
dicens. Magister adest et uocat te. Illa autem ut audiuit
surgit cito et uenit ad eum. Nondum enim uenerat ihc
in castellum sed erat adhuc in illo loco ubi occurrerat ei
martha. Iudei igitur qui erant cum ea in domo et consola
bantur eam cum uidissent mariam quia cito surrexit
et exiit sequuti sunt eam dicentes. Quia uadit ad
monumentum ut ploret ibi. Maria ergo cum uenisset
ubi erat ihc uidens eum cecidit ad pedes eius et